e-codices

isagoga

us inductione monstrabit. Nam si per singulas proportiones consideratione deducta
scilicet superparticulares. nulla prorsus occurrit que interposito medio termino æquis pro
portionibus diuidat. non est dubium quin superparticularis comparatio non possit in æqua
partiri. Quod si uidet auribus consonum aliquid canere cum cuilibet uoci duo toni ac se
mitonium integrum distans uocula comparetur. id non esse consonum natura monstratur.
Sed quoniam sensus omnis que minima sunt. comprehendere nequeat. idcirco hanc differenti
am que ultra consonum procedit sensum aurium non posse dis extinguere. Fore autem ut depre
hendantur. si frequentissime talis particula. per eosdem crescat errores. Nam quod
in minimo haud sane cernitur. compositum est iunctumque; cum iam magnum esse ceperit
peruidetur. A qua igitur proportione est ordiendum. c. An compendium dabimus
questioni. si ab eo de quo queratur ordiamur. c. Id uero est tonus in duo possit
æqua partiri necne. Nunc igitur de tono est pertractandum. et quemadmodum non possit
in duo æqua diuidi. demonstrandum est. Quam demonstrationem si quis ad reliquas
superparticulares comparationes transferat similiter demonstrabit superparticulare
noto atque integro numero separari non posse. Primi igitur tonum continentes numeri sunt.
VIII. atque VIIII. Sed quoniam se isti naturaliter consequuntur. ut medius inter eos numerus
non sit. eosdem binario quo scilicet minimo possum multiplico. Fiunt igitur XVI.
atque XVIII. Inter hos uero naturalis numerus cadit. qui est XVII. Igitur XVIII. ad XVI
tonus est. Sed XVIII. ad XVII. comparatus habet eum totum et eius septimam decimam
partem. Septima decima uero pars minor est XVI. naturaliter; maior igitur propor
tio est sub XVI. ac XVII. numeris continetur. quam ea que sub XVII. ac XVIII. Qui
disponantur hoc modo; et sit XVI. A. XVII. C. XVIII. B. Medietas igitur in
tegra toni inter. C. ac B. nullo modo cadet; minor est enim. C. B. propor
tio. C. A. proportione. Ad maiorem igitur partem medietas sata ponen
da est; Sit uero medietas. D. Quoniam igitur DB quidem proportio quod est dimidium toni ma
ior est CB proportione que est minor pars toni. AC autem proportio que est
maior pars toni AD proportione maior est quod est dimidium toni.
Est autem AC proportio sesquisexta decima CB autem sesquiseptima decima
non est dubium quin integra medietas inter sesqui XVI. et sesqui XVII
cadat. et minor sit sesqui sexta decima et maior sesqui XVII.
Sed hoc in integro numero nullo modo poterit inueniri.
Quoniam uero ad XVI numerum XVII numerus comparatus super
sesqui sexta decima obtinet proportionem. si eius dem XVII



hic fit inferior fort

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 74 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/74)